EXERCITATIO MEDICA
DE

MEDICAMENTORUM GALENICORUM PARITER ET CHEMICORUM NECESSITATE

QUAM
DEO FAVENTE
PRÆSIDE
DN. FRIDERICO SCHRADERO,
MED. DOCT. & PROF. ORD. ACADEMIÆ hodie PRORECTORE & FACULTATIS MEDICÆ DECANO,
Dn. FAUTORE, PRÆCEPTORE ac HOSPITE suo omni observantia colendo
Publicæ disquisitioni subjicit
JUSTUS OTTO QUENTIN
Göttingensis
AUTOR
IN MAGNO JULEO
d. IV. Julii Anno cIɔ Iɔc XCI.

HELMESTADI,
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.



Q. D. B. V.

Th. I.

STerilitatem philoſophicis ſtudiis & evidens damnum Medicæ arti attuliſſe, quod plurimi ad unius ſectæ, ob quædam rectè & commodè ab illa expoſita, auctoritatem ſe contulerunt, dudum ab aliis, veteribus pariter ac recentioribus, eſt monſtratum. Quam materiam, ut exhauſtam, equidem nunc tædioſè non recoquo, meo tamen, quod tractandum ſuſcepi argumento, hoc valdè congruere cenſeo, veritatis ſtudioſum eſſe & capacem liberum, nulli ſectæ preſsè adhærentem intellectum: *Æquum* enim, ut ſcribit Cicero 1. Nat. Deorum, *libero judicio, nulla ejusmodi adſtrictum necesſitate, ut velit nolit ſit certa quædam tuenda ſententia.* Et *omnino* ut habet Plato in Charmide, *non quis dixerit, ſed quam rectè dicatur, ubique conſiderandum.*

II.

Approbandam equidem cum Verulamio de augm. Scient. l. 1. illam regulam facile largior: *oportet diſcentem credere*, illi tamen optimè annexum eſſe exiſtimo; *oportet jam edoctum judicio ſuo uti.* Diſcipuli enim debent Magiſtris temporariam ſolum fidem judiciique ſuſpenſionem, donec imbiberint ar-

tes, non autem plenam libertatis ejurationem perpetuamque ingenii servitutem. Feliciores autem illi, qui in morosos propriarum hypothesium admiratores, & acerrimos defensores non incidunt, sed quibus in ipso studiorum ingressu eorundemque decursu authoritas ita laudatur, ut liberiore mente recedere ab eadem, & supra Præceptorum inculcatam doctrinam surgere permittatur. E singulis nempe verissima & optima seligere oportet, & secundum illos, qui sectam ἐκλεκτικὴν amplectuntur, ex diversis dogmatibus præstantiora excerpere; Dummodo ne audiant miscelliones, qui cum in veritatis scrutinio viam sequuntur quam reprehendit Vossius de sectis Philosophorum c. 21. nullo scilicet vel parvo pravoque judicio varia miscentes placita, quemadmodum imperitus coquus unà multa jura confundit. Utut enim difficile utique sit, verum à falso in ista sententiarum diversitate discernere, juventuti præsertim præcipitantiæ obnoxiæ, & industriam id majorem requirat; laudatissimum tamen est, ita progredi, & præstantissimi philosophorum hac ingenua libertate usi fuerunt. Cum enim nemo sit erroris prorsus expers, præclarum est atque eximium, rationis momenta, firmo experientiæ fulcro rectè superstructa magis, quam placita horum illorumve sequi. Autoritatis equidem magna sæpe ratio est, & esse debet, aliquando tamen illa plurimum rationi obest, ut satius sit, etiam in Medicina, prudens Magni Hugonis Grotii consilium sequi, inquientis: *Nulla secta est, quæ omne vidit verum, nulla quæ non aliquid ex vero; veritatem ergo per sectas sparsam & diffusam colli-*

colligamus oportet. Hanc cupidè ubique amplecti oportet, absque ſcrupuloſa & inepta perveſtigatione num ex Hippocratis, Galeni, Helmontii, Methodicorum, Dogmaticorum, Empiricorum, Spagyricorumque ſchola prodierit.

III.

Adduxi hæc propterea, quia, dum in Medicis ſtudiis per quatuor jam annos in inclyta hac Iulia verſatus ſum, id clarè obſervaſſe mihi ſum viſus, regulam hanc præcipuè etiam in medicamentorum, vincendis morbis idoneorum, ſelectu tenendam eſſe; vacillare illam medicinam, mancam & inſufficientem eſſe, quæ vel Chemicorum efficaciora, eſſentificata, exaltata, ad minorem molem coacta, ubique præfert; vel, ſecuritatis majoris prætextu, vulgaribus & Galenicis vulgo nuncupatis penitus contenta eſt. Experientia enim, quæ ſola hæc determinare poteſt, & indubios medentes reddere, perſuadet, medio tutiſſimos ire, illos ſcilicet, qui prout vel robur, conſtitutio, temperies ægrotantis, vel morbi indoles expoſcit, modo hæc, modo illa, ſeligere & præferre norunt.

IV.

In illorum ergo ſententias non imus, qui probatiſſimorum medicamentorum pertæſi, id operam dant, ut nova ſemper, efficaciora, ſubtiliora & penetrantiora excogitent & inveniant, quæ ſpecificorum & arcanorum titulo extollunt, immemores vel etiam ignari ſalutaris illius Petri Foreſti moniti, quod adducit l. IX. obſ. 23, ubi ait: *Temerarium & ſtultitiæ inſignis argumentum eſt, in ancipiti medicamento pericu-*

lum facere, cum nulla cogat necessitas, & meliorum copia suppetat. Placuit semper judicium Jacobi Primerosii de illis Clinicorum secretis, quod habet l. 1. de vulgi errorib. c. 12. *Hæc quatuor si bene noverit*, verba ejus sunt, *morbum, methodum medendi, materiam remediorum & componendi rationem, istis secretis non eget, nam remedia non minus bona præscribere poterit, forsan etiam meliora, quam sunt ista secreta tam magnifice jactata. Legi alicubi historiam Capivaccii, in Epist. Scholzii, qui à Germanis rogatus, ut sua secreta communicaret, aptissimè respondisse fertur: Legite meam praxin & invenietis mea secreta; In quo libro nihil secretum, nihil arcanum est. Memini me audivisse Varandæum in Academia Monspeliensi Professorem Regium dicentem: remedia esse optima, quæ minime sunt secreta, sed notissima, utpote certiori experientia confirmata, & recte sanè.*

V.

Ut propius ad scopum pergamus, duplicem pharmaciam non male statui, largimur Wedelio, qui in limine Pharmaciæ suæ opinionem hanc retinuit, utut ἄτοπον idipsum aliis videri cognovisset. Pharmacia enim cum sit ars & præparandi & componendi medicamenta, id quidem, antequam Chemiæ usus magis invaluit & approbatus fuit Galenici non ineptè effecerunt, crescente tamen experimentorum numero, & indefesso aliorum labore, ad artis majorem perfectionem tendente, addita Galenicis & vulgaribus illa fuerunt, quæ in morbis gravibus utilia valde, reliquis efficaciora fuisse usus manifestavit. Atque sic elegantior parandi combinandique medica-

men-

menta modus, ad certos casus, in quibus rem peragere ordinariis non licuit, accommodatior, detectus est. Quamvis igitur stet maneatque laus sua medicamentis Galenicis, sublimior tamen & selectior pharmacia Chemia est, quæ initio quidem illa olim usitatis addidit, quæ ex metallis conficiebantur. Labor enim Chemiæ in primis incunabulis suis fuit metalla excoquere, & in mineris ac divite gleba versari. Temporis tamen progressu altius naturæ rerum sese immersit, animalium insuper cohortes, & vegetabilium quoq; Regnum ingressa, unde tot suggestis igne paratis, auctiora, & multo instructiora nunc sunt Pharmacopolia. Et idem hoc ansam dedit de Artis nostræ incremento optimè meritis Viris, illam ruditatem & supervacuum tot simplicium cumulum corrigendi, & ad modum concinniorem redigendi. Cum ergo Chemia sit nova Pharmaciæ pars, novusque ornatus, imo ipsissima Pharmacia selectior, amplius patet, conjungendam esse Galenicam & Chemicam Pharmaciam. Meliori enim via imo optima, planè secura, morbis superandis multo magis accommodata incedunt, qui utramque conjungunt, & amicè conspirare ac aptissimè convenire intelligunt, misso omni erga recentiores odio, nimiaque veterum admiratione, & vano solius antiquitatis amore.

VI.

Miser proinde erit Medicus qui Chemiam ignorat, miserior qui odit; quandoquidem ea modo est multorum morborum indoles, ea pertinacia, ut nisi majoris activitatis remedia Chemia suppeditet, agere quidem

quidem ſemper, peragere nihil, curare ſemper, ſanitatem labefactatam reſtituere minime liceat. Quemadmodum enim creſcentibus delictis, pœnas creſcere debere ſtatuunt Jureconſulti: ita mutato morborum habitu, & auctis iisdem à perverſo magis rerum non-naturalium uſu, alia excogitari, & ex proportione morborum magnitudini æquari debuerunt remedia. Dubium enim non eſt, quin cum illa vorandi potandique & gulæ liberè indulgendi libidine remediorum materies ſe extendere debuerit. Habitus enim ingeniumque morborum in plurimis hinc mutatum eſt, & contumacia adaucta, adeo ut plurimi morbi olim benigniores & facilius vincibiles, nunc monſtrum alant, & inuſitatis ſymptomatibus ſeſe exerant, quibus proinde nova & congrua ex æquo remedia opponenda eſſe methodus dictitat. Quare pulchrè pro more ſuo ſcribit eruditisſimus Pechlinus: *Nec vulgata magis prodeſſe videas, ſed nova usq; ſollicitari & violenta remedia, quædam etiam inviſa & olim veneni ſuſpecta, quæ ſi quis remedia repudiare vellet, & contemnere frigerent ſanandi formulæ, ſteriliorque eſſet Medicina, quam pridem. Herbæ quondam ſufficiebant curandis morbis, aſt nunc nec metallis parcimus, duris in Vulcani officina natis remediis, nempe ut darent quod exſtirpandæ infixæ altius malignitati valeret. Ultimum olim erat in Veratro ſolatium, & qui domeſticis ſanari non poterat morbus Anticyris expiabatur. Nunc autem non in inſulas, tolerabilem certe pœnam, ſed ad metalla damnantur ægri mortales, quo conceptum viſceribus malum felicius evellatur. Ille Mercurius, Chemicorum Proteus, atq; in ſtar Martis Home-*

Homerici ἀλλοπρόσαλλος; illud antimonium ſemimetallum, ut cetera taceam, an non unica hodie & rariſſima medicorum pignora, abſq; quibus eſſet, jaceret Medicina ſine ſucco & ſanguine.

VII.

Aptè veteres vitream pituitam appellabant mucum illum firmiter adeo compactum, tenacis limi inſtar cohærentem, & plurima incommoda, diuturna valde & chronica, parientem; tales enim glutinoſos lentos & modo non vitri inſtar concretos ſuccos hærere in corpore, interdum etiam prodire ab eodem & excerni, Medicinam facientes, & quid in morbis eorumque curationibus eveniat intelligentes, probe norunt. Hæc autem viſcida in plurimis affectibus peccans materia, partibus ſæpe firmiter impacta & adhærens, non liquefit potionibus vulgaribus, non ſolvitur languidioribus herbarum aperientium (etiamſi nullam illarum omittamus) decoctis, non edomatur ſimplicibus magna etiam farragine confuſis. Illis enim in affectibus à tali cauſa prodeuntibus, ſanationis difficilioris ſcopum, non niſi per accidens attingunt, & naturam ad edomanda hæc mala remorantur. Chemicis potius hic opus eſt, quæ facta hæc ſolidiora coagula fundant, & viſcera à viſcoſiſſimorum humorum ſarcina liberent. Advocanda ſunt incidentia & attenuantia ſalia, fixa, enixa & volatilia; ex mercurio, marte, antimonio parata medicamenta. Hæc enim penetrantiora in tot caſibus opem ferunt, ubi fruſtra capaces cyathi & ollæ integræ brodiorum Galenicorum epotantur. Mira his ineſt penetrandi & per corpus univerſum virtutem ſuam diffundendi

vis, quodin antimonio, herculeo illo medicamento, elegantiori hujus præparatorum apparatu gaudentes & in praxi ſua utentes animadvertunt; quomodo ſcilicet puriora & ſubtiliora ex hoc educta ſulphura in exiliſſima quantitate magna agant, quomodo univerſum corpus pervadant, ad remotiſſimas partes atque extimam corporis plagam pertingant. Deprehendiſſe ſe in ægris ſuis aliquoties retulit mihi Cl. Dn. Præſes, quid Sulphuris univerſaliter purgantis Glauberi quarta grani pars præſtet in acrimonia ſeri deliniendа, lachrymarum mordacitate oculos infeſtante, lippitudines moleſtiſſimas, ophthalmias cum unguis & panni metu producente corrigenda; qui in muliere artuum ſcorbutico dolore & defluxionibus ad pectus tam acribus, ut eroſionem pulmonis & ſanguinis ſputum inducerent, tantillam hujus ſulphuris antimonii doſin tenuis & acris ſeri motum ſtitiſſe, &, fruſtra adhibitis antea aliis, periculoſi morbi incrementa impediviſſe, annotavit.

IIX.

Ubi in ipſo morbus radicem egit ventriculo, illa è quibus elicere hic prius virtutem & medicamentoſam qualitatem ſopitam excitare & in actum deducere debet, qualia ſunt vulgaria medicamenta, parum valere, & ratio ſuggerit, & experientia evincit: ſiquidem illa omnia, quæ copia ſua obruunt, ventriculo ſunt adverſa, fermentum ventriculi ſupprimunt, aut eluunt, & laxitatem imbecillitatemque ventriculi augent. Habent equidem groſſæ illæ aromaticorum ſimplicium pulveriſationes, & hinc prodeuntes trageæ, ſuum aliquando uſum, plerumque tamen

men tædiosa sunt medicamenta, & parum commodi sæpe afferunt, quandoquidem necesse est, ut vigor ventriculi, earundem medicamentosam vim, recluso aromaticarum & spirituosarum particularum vinculo, remotisque inertibus involucris, extrahat: Unde rectius cum celeberrimo Sylvio loco talium Salia volatilia oleosa commendantur. Tantum certè hæc præstare sciunt Practici, quantum ab aliquot scatulis grossæ talis trageæ frustra exspectares.

IX.

Quotiescunque in parte quæ à ventriculo & primis viis longius abest, vitium delitescit, & vel caput, vel partem aliam, remotiorem à primæ coctionis organis affligit, non facile remedium invenias, quod graduato & probe rectificato volatili sali sit præferendum. Magnum utique medicamentum habet in affectibus cerebri, ab intemperie ejus frigida proficiscentibus, qui penetrantem volatilem spiritum, aut salem, qualem Tartarus, Sal armeniacum, C.C. succinum fuligo suppeditant, possidet. Non recensebo nunc, quid hi volatilium salium fluores in contumacibus chronicis affectibus præstent, quomodo internè & externè, congrumata & coagulata resolvant; sed id inprimis urgeo, in subitis casibus vitæ interitum minitantibus subitum ab his, ab aliis vulgari modo paratis, non item, sequi auxilium. In convulsivis affectibus, hystericis pathematibus, asphyxiis, syncope ipsa, (quæ & apud Grammaticos & Medicos è medio tollit,) volatilia, fortia, activitate penetranti prædita, qualia Chemia suppeditat, requiruntur. Fuliginem modo nominavimus, è qua utut vilissimo fumariorum & ca-

minorum parietes defœdante corpore, quantæ efficacitatis medicamentum chemia exhibeat novi Medicis non infimi subsellii usu exploratum esse; & in methodo sua parandi varias Essentias atque Spiritus chemicos extemporaneè sine igne, aut destillatione id explicuit Medicus Ducalis Saxonicus Gabriel Clauderus. *Tres guttæ*, scribit Johannes Hartmannus in Pr. Chymiatr. *spiritus fuliginis exhibitæ agonizanti eum mirabiliter refocillando exsuscitant.*

X.

Nihil autem vanius est, quam ogganire illi, quod usus reapse experiundo edocuit, & philosophicis iisque pauperrimis ratiunculis, quod experientia firmavit labefactare velle; quod fecisse visus est Medicæ rei ignarus, & invita arte Chemicorum medicamentorum præstantiam sequentibus verbis impugnans, infelix hic vates, alias naturalium rerum recondita scientia imbutus Joh. Bapt. du Hamel. l. 2. de fossil. c. ult. *Profecto nisi conjectura fallor,* (falleris omnino & medica peritia te destitutum esse prodis) *nihil arte chymica vanius est, nec quenquam hoc errore duci oportet, ut sibi persvadeat, antimonium, hydrargyrum & alia mineralia, tuto citra ullum periculum assumi posse. Quid enim hæc, nisi venena esse possunt? nulla est illis cum corpore nostro familiaritas, nec calore nativo domari, cum sint naturæ infensissima, eamq; continenter lacessant; ex illa veluti pugna virium dejectio, humorum effervescentia, deliquia, convulsiones & gravissima oriuntur symptomata, quibus persæpe natura, viribus impar, opprimitur* &c. Quæ si vera sunt & sufficientia, ut tutam quidem, efficacem tamen simul medicinam

amantes

amantes terreant, actum est de plurimis, quos rebelles morbi tenent; deserendi sunt ægri, quos morbi vulgaribus blandioribusq; remediis non expugnabiles lectis affigunt, & satius utique erit, curam plumbeo pugione non auspicari, quam languidis & effœtis remediis spes hominum primùm inflare, deinde destituere; blando alloquio, & amicis verbis erigere, medela vero ipsa nunquam implere. Sic tamen eveniet, ut nobis ad chemicas præparationes trepidantibus animumque despondentibus, prudenter administrata, potentiori & strenua medicina alius morbum dissipet, lucrumque & gloriam reportet. Neque ullo modo errantium & intempestivo medicamentorum chemicorum usu nocentium infelicitas illorum præstantiæ quicquam derogare debet; ficuti notissimum est, nulli unquam Lycurgi severitatem laudatam, quæ vites exscindebat, ne quis inebriari vino posset. A qua non procul abest decretum illud Parisiense, quod mero rerum chemicarum odio, quamvis jam exoletum, produxit Doctissimus Casp. Hoffmannus de med. off. c. 90: Satis vero jam constat optimos quosque doctissimosque Parisiensium Medicorum circumspectum Antimonii usum hoc tempore nequidquam formidare.

XI.

Non ferendæ vero inscitiæ character est Chemicas medicamentorum præparationes idcirco aspernari, quod à quibusdam sale abundantibus arrosiones corporum quorundam fieri inimici artis chemicæ adducant, idemque in visceribus corporis metuendum esse inculcent. Quæcunque duriora concreta,

 metalla,

metalla, lapides rodunt, illa sæpe extis vim nullam faciunt. Vanè hinc cum Riolano spiritus vitrioli usus interdicitur, in morbis gravioribus adeo proficuus. Hæc enim si accipimus, nec aceto, nec citri succo, quibus lapides solvuntur, utendum est, acetum dissolvit corallia, spiritu vitrioli liquefit plumbum, stomacho damnum nullum infertur. Ovi in acetum positi testa durior dissolvitur & tota in liquamen abit, mollis & tenera quæ subjacet membranula intacta omnino relinquitur. Hinc illos non omnino ineptos arbitramur, qui salvis visceribus illæsisque permanentibus duriorem calculum atteri à medicamentis quibusdam posse crediderunt.

XII.

Prorsus autem imperitè alii ab exaltatis illis rectificatissimis calidis & sulphureis medicamentis, Chemica arte factis adustiones succorum, per accensiones humorum & spirituum, imo deflagrationes eorundem metuunt. Commentum est, quod producit Willis. de anim. brut. part. 2. l. 13: spiritus animales interdum adeo incalescere, ut ad incendium abripiantur à biliosi sanguinis æstu nimio, & ad cerebrum commotione, & hinc dependente delirii specie, quam phrenitidem vocamus; in quem errorem antehac Prosperum Martianum quoque deductum esse constat: Quasi scilicet in hoc casu idem fieret, quod in destillatione spiritus alicujus sulphurei intensiori igni expositi, qui inter destillandum flammam conciperet, ac efflagrans cum aperta flamma alembicum conscenderet; Eadem ratione sanguinem intensius exardescentem spiritibus de se destillatis inflammationem & particulas quasdam adustas cerebro communicare.

nicare. Et ſimile quid à medicamentis illis fervidis & ardorem conciliantibus metuitur, cum tamen & humorum & ſpirituum natura ad incendium ejusmodi & deflagrationem quam ineptiſſima ſit, & in corpore ipſo locus & opportunitas accenſionis cujusdam nullibi reperiatur. Succi enim tubulis & viſceribus continentur ac coercentur, neque caloris tantus gradus, ejusdemque talis ſpecies, quæ aduret, in corpore animali datur. Igneum illud, meras ſcintillas diffundens ſincerum ſulphur, & leviter tritum ac commotum in luculentas flammas ſurgens, quod Phoſphorum ſ. Noctilucam aëream Boylei nuncupamus, nihil in corpore accendit, nihil adurit. Cœpisſe quosdam in Anglia penetrabilem hunc ignem medicinæ loco in Epilepſia habituali non ſine ſucceſſu adhibere aecepimus.

XIII.

Sicuti autem hæc omnia chemico modo parata, cauſarum morborum, quibus vincendis deſtinantur, diſtinctam cognitionem & aptam applicandi methodum requirunt, & præſupponunt; ita eadem hæc, morborum origini & naturæ innixa, abundè perſuadebit, non ubique & in omnibus morbis puriſſima illa concinnata, eſſentificata, concentrata, ab omnibus adhærentibus ſcoriis, & vi activa deſtitutis particulis liberata, præferenda eſſe. Inutiliter proinde ſe macerant, carbones & operam perdunt Chemici, dum ſemper intenti ſunt ſimplicibus prorſus purificandis illisque quæ infringunt coercent ſubtiles ſpirituoſas ſalinas partes, ac proinde blandius medicamentum faciunt ſeparandis ſtudent. Mixta enim ſibi relicta, &

in

in ſubſtantia, ut loquimur, exhibita, bene interdum ſe gerunt, imo melius quam graduata, acriora, & vehementi operatione ſubitam mutationem, naturæ ſæpe inimicam imo ſubinde periculoſam afferentia. Interdum ſcoriæ & inertes ac ſuperfluæ æſtimatæ, vel terreæ, vel phlegmaticæ particulæ, aut relictæ, aut additæ, juvant, aptius & ſecurius medicamentum reddunt, atque ut patiens illud melius toleret efficiunt. Aberrant itaque hic à ſcopo Chemiſtæ fumivenduli, & putidi ciniflones, dum in præparationibus finem illum perpetuo præfixum non attendunt; virtutes morbo quem debellare conamur oppoſitas integras ſervare & incorruptas. Hæ vero non ſemper in activis partibus, ſed ſæpe in aqueis, diluentibus & ſalium ſpicula diſcontinuantibus, ſæpe in terreis, acidum ſitientibus, & humiditates abſorbentibus, & aliis, quæ non tam agunt, quam ab humoribus, quibus in corpore occurrunt patiuntur, reconditæ ſunt. Sic præcipitantium vulgo appellatorum quæ temperando, imbibendo, invertendo, ſaturando & figendo agunt, uſus paſſivus potius quam activus dicendus erit, cum ipſa non tam agendo in corporum partes, quam ſuccorum occurſum & impetum ſuſtinendo proficua ſint; adeoque immediatè inde reſultans effectus, privativus potius, quam poſitivus exiſtat.

XIV.

Martis plurima præparata, quibus chemici ſalutis humanæ præſidem Artem ſe multum ornaſſe, & medelarum miracula facere poſſe confidunt, imbellia ſunt remedia; Tincturæ ſcil. illius cum acidis factæ; ſalificationes ferri multæ ſunt penitus inutiles.

Quis

Quisquis enim in quo efficacia chalybeatorum posita sit, & quid præcisè in corpore operentur cognovit, minus præparata vel extra corpus inutiliter saturata eliget. Zacutus Lusitanus l.9. c.10. obs. 3. inquit: *Macerant secum Medicis Pharmacopœi in præparando chalybe, cum aliud sit facilius ad manus, minoris pretii, & incredibilis utilitatis. Est terra, quæ in mineris ferri reperitur, quam si sicces ad umbram, teras subtilissime, & in lævorem redigas accurate, eademq; quantitate, ordine & forma in eisdem malis ægrotantibus offeras, mirabilem, imo excellentiorem utilitatem quam ex præparato chalybe percipies, prout sæpissime felicissime semper sum expertus.* Vera hæc & experta esse, vivo testimonio confirmavit Malachias Geigerus Microcosmi sui hypochondr. cap. XXIV.

XV.

Dosium exilitatem suis medicamentis propriam dum insolentius Chemici jactitant, propriam turpitudinem, Medicinæ scilicet antiquæ Hippocraticæ se ignaros, patefaciunt; utpote quæ non minus talibus est instructa, quæ sub parva mole ingentes vires occultant. Neque etiam inde sufficientia Chemicorum medicamentorum, evinci potest, cum multis morbis tale sit ingenium quod quantitatem majorem illorum, quibus expugnanda est labes, exposcant. Etenim quando humectare & madida medicina aculeos mordacium humorum retundere & hebetare intentio est, quando fluxis ariditatem corrigere, acidos succos, magna copia visceribus crebro inhærentes invertere, per diuresin & diaphoresin expellere cupimus, tenuissima autem & perparvula quantitate

 medicinas

medicinas exhibemus, inanem ſumimus laborem, facilius ſæpe aquam è pumice, quam ſerum è conſuetis viis elicituri. Copia ſæpe opus eſt & ab hac ſola non exiguum ſæpe commodum; præſertim etiam illis in caſibus, quando aliquot indicationibus uni medicamento ſatisfacere eſt conſilium. Hinc felicius ſæpe curabant veteri ævo, dum multis intentionibus unicum opponebant medicamentum, ubi alterare, & evacuare, ubi bilem nimis acrem attemperare, eandemque excludere, ubi phlegmata in pectore hærentia attenuare & convenienter per alvum & anacatharſin educere erat animus; quid enim decocta longa, quid majori quantitate hauſta apozemata tum valeant, probe norunt, qui horum vim ſunt experti.

XVI.

In plerisque fermè pectoris affectibus, plus præſtabit, qui vulgari modo factis utitur, qui blande operantia ex communibus & uſitatiſſimis herbis decocta uſurpat, quam qui ſolis Chemicis uti conſtituit, & quæ ignis vexationes diutius non ſuſtinuerunt faſtidit. Habent enim plurima ex Chemicorum hypocauſtis deprompta activitatem nimiam, tenerrimo pulmonum parenchymati infeſtam, receperunt acrimoniam, aut ἐμπύρευμα ab igne contraxerunt, pectori, ſvaviter agentia nunquam non poſcenti, utplurimum adverſum. Valentia, qualia chemica ſunt, pleraque tabeſcentibus noxia inculcat Ballonius conſil. 2. In hæmoptyſi melius ſe gerunt & ſecuriora ſunt ſimplicia, virtute aſtringendi & glutinandi prædita. Decocta ex vulnerariis, epiceraſticis & incraſſantibus parata,

parata, quam Tincturæ antiphthisicæ, quarum infallibilitatem magnificis laudibus celebrant propriarum compositionum ebuccinatores. Meretur prædicari ille à recentioribus revocatus mos balsama vulneraria ad sanandas læsiones internas necessaria, non ex oleis destillatis ignem expertis adornare, sed balsama hæc & antiphthisica ex parabilioribus aliis, butyro, oleo hyperici, balsamis naturalibus, Terebinthina ipsa componere.

XVII.

Diligentissimè antequam ad Chemica deveniamus constitutio & temperamentum corporis investigandum est, sicuti enim in robustioribus tuta magis & innoxia, sic etiam in tenerioribus & delicatulis intuta sæpe & insidiosa sunt. Neque probandum arbitramur illorum præproperam & immaturam in præscribendis medicamentis festinationem, qui non prout fas erat à blandioribus pedetentim ad validiora progrediuntur, sed à potentioribus & vehementibus, cum ægri molestia vim exserentibus, curam auspicantur. In medendo gradus tenere oportet, sensim ab imbecillioribus ad potentiora ascendendo. Initiis morborum valida, uti chemica, non convenire Ballonius Consil. p. 378. & ibidem medicamenta levia sub finem curæ, convalescere jam incipientibus ægris apta esse scribit. Prudens hæc regula in praxi valde utilis divinum olet Hippocratem, cujus præceptis laus omnis inferior est, & cum quibus specifica sua extollentium temeritas ne conferri quidem debet. Is lib. de locis in homine LV hæc habet: *Medicamenta fortia à natura in debilibus morbis dare non oportet, neq; pau-*

citate medicamenti debilitas ipsius facienda est: sed fortibus natura fortibus pharmacis utendum est, debilibus vero, pharmacis non fortibus. Neq; partiendum est medicamentum, sed singulis secundum naturam debilibus quidem debilia à natura, fortibus vero morbis, fortis naturæ pharmaca exhibenda sunt.

XVIII.

In nephritidis & calculi cura lithontripticis, acrioribus salibus, tincturis & essentiis refricari malum, cruciatus intendi, symptomata alia acerbissima excitari ab ipsis observatum est chemicis, qui melius his quoque affectibus succurri vulgaribus, emollientibus, lenientibus, dolores demulcentibus, confitebuntur. Eleganter hæc confirmabunt, illa quæ Pechlinus in observationibus nuperrimè editis proponit, ubi pag. 36. calculi renalis curationem expendens, plane ex sententia ita loquitur: *Profecto, si Indicantium in illa Empirices invalescentis auctoritate aliqua adhuc vis est, nulla etiam post curiosum examen magis convenire morbo illi possunt, quam aquea, dulcia, pinguia, & quibus aliquid inest nitrosi, aut si quid renali fermento affinius urinæque juvat secretionem in quo casu cum omnibus numeris absolutum sit Foresti decoctum, dubitem ego an quid convenientius morbo huic excogitari possit. Mihi certe in plurimis felicissime cessit ejus usus. Reperias autem ibi primo aquam, ceteræ virtutis vehiculum, quæ etiam mucosum pelvis involucrum diluvio solvat, materiamque præbeat seri. Reperias mucilaginosa, malvæ, altheæque semina, dulce caricarum, sebesten & glycyrrhizæ delinimentum, hordeum denique & ciceres, quæ cum nitrosa constent & abstergente faculta-*

te,

te, & secretionem adjuvant fieri, mutantisque fermenti renalis vires confirmant: Quibus si dein juscula adjungas vitulina, acido citri, oleo amygdalarum dulcium, manna tabulata, & Syrupo de Althea Fernel. parte etiam vini mosellani delibuta, jam haberi puto, quod omnibus Chemicorum arcanis ipsi imprimis Aroph & Samech Paracelsi fastum facere possit; nam cum hæc uni aut summum alteri indicationi illa ex æquo omnibus respondent.

XIX.

Rectius omnino in aliis etiam morbis, præsertim compositis & complicatis ad casus præsentes applicantur illa, quæ ex variis simplicioribus conjuncta sunt medicamenta & ex his imprimis decocta. Spernuntur autem hæc Galenico modo facta hodie à multis, etiam illa de causa, quod ad angustissimos limites ab illis cogatur longissima Medicina; per talia ægrotis subveniendi mos seculorum experientia stabilitus contemnatur, quoniam exacta simplicium ac tot herbarum notitia ad illum requiritur. Neque vero dubium est per hunc simplicium radicum, foliorum, florum, seminum, fructuum vires extrahendi modum, has integras servari & sine magna immutatione nativas facultates elici; cum è contrario chemicorum misturæ virtute nativa raro operentur, sed artis beneficio novam acquisiverint.

XX.

Lentis & tardioribus remediis quosdam morbos felicius tractari superius indicavimus, & moniti hujus veritatem in non paucis affectibus alimentorum medicamentosorum continuatus usus evincit, quo id sæ-

pe perficimus, quod â pomposis chemicorum arcanis fieri nequit, qualia inviti crebro assumunt morbis detenti, cum blandiora talia & consueta libenter & pronis animis diutius usurpent, quæ naturæ vim nullam inferentia, ventriculo amica, succesfive sanguinis & humorum gravisſimas corruptiones delent. In victu medicato Antiqui quærebant præsidium, jusculis medicatis prosperrimè semper, ancipiti fortuna nunquam utebantur; quem morem in desuetudinem fermè nunc abiisse non immerito mirantur veræ medicinæ periti. Chemicis enim tale quid ægrè præstatur, quandoquidem pleraque illa acria sunt, & in illa consuetudine naturæ adversa; alimenta autem, quæ medicamentosam habent facultatem, uti naturæ magis congrua, ita & visceribus minus infesta, in sanguinem facile admittuntur. Quid lactis usu in scorbuticis, arthriticis, hecticis effectum sit, quomodo continuato eodem plurimi veluti renati, novum habitum induerint, cognitisſimum est. Quomodo calidæ potus morbos graves & chronicos si non propulset, certè tolerabiliores reddat, multumque levaminis afferat, & si in sale est vitium, illud ex voto eluat, hodie decantata & propemodum pervulgata res est.

XXI.

Etsi autem ex his ut opinor, non obscurum amplius sit, quanta moderatione utendum Galenicorum pariter, atque Chemicorum medicamentorum præconibus, & solidam scientiam opportunitatis ad hæc vel illa eligenda, necessariam esse; in non paucis tamen casibus utraque utilissimè conjunguntur. Neq; hujus

hujus copulæ multiplicem fructum quisquam nisi plane inexpertus, in dubium vocabit. Quæ enim vulgari modo parata sunt, interna pariter ac externa, per chemica addita acuuntur optimè, & interdum veluti animantur, alias parum opis allatura. Sic in vehiculo decocti ex aperientibus & diureticis facti, si penetrantem aperitiuum liquorem, si Tincturam Amelungi, vel similem exhibeas, melius sæpe finem propositum consequeris. Decocta radicum & lignorum diaphoretica per injecta aut instillata volatilia salia multo generosiora & certioris effectus fiunt; quemadmodum electuaria, pro firmando languente ventriculo aliisque primarum affectibus expugnandis præscripta, & palato magis blandiuntur, & expeditiùs agunt, quod debebant, si aromaticis oleis eadem imbuas. Linimenta, olea, externe corpori inungenda balsama, volatilis sal convenienter junctus multo reddit fortiora. Clysteres pro scopo carminativo vapores discutiente præscripti salia volatilia nonnunquam recipiunt, & spiritum salis armeniaci enemati additum contra vermes & colicam Glauberus part. 2. Furn. Phil. commendat. Alii in hystericis passionibus idem non infeliciter sunt imitati. Riverius Prax. l. XV. c. 6. Clysterem hystericum discutientem cum aqua vitæ parat. In calculi acerbo dolore cum dira colica oleum succini enemati instillatum proficuum valdè deprehendit Cl. Dn. Præses.

XXII.

Sicuti autem copiosa optimorum medicamentorum supellex Medicum nullo modo facit, ita & in eligendis tum Galenicis, tum Chemicis aut utrisque

combi-

combinandis judicio Practico opus est, ut singula singulis suo tempore, loco, & mensura exhibeantur. Citra methodum enim medicamenta non solum non erunt θεῶν χεῖρες, sed potius, ut in proverbio nunc est, ignis in manu stulti, aut gladius in manu furiosi. Hæc autem methodus, hæ leges medicinæ, naturæ legibus sunt consentaneæ; ut in præfat. l.1. Therapeut, pluribus explicat Fernelius. Cui ita assentimur, ut simul placeat sagax doctissimi Vallesii Judicium, qui Meth. Med. l. 4. c. 2. ita loquitur: *Multa sunt in arte medica in quibus urgentiæ causa ab arte recedere, ars est. Nam cum sint in ea multa præcepta legitima, & regularia, perpetua tamen nulla sunt. & qui ulla habet pro perpetuis & inviolabilibus, methodicus dici potest, rationalis autem minime. Nam rationalis non curat ex libello aut commentario, sed ut in re quavis exercitata ratio dictat, & nullis se legibus tanquam pragmaticis obligat.*

SOLI DEO GLORIA.

